NICOLAI CUSANI PHILOSOPHIA

THESIM

OFFEREBAT

FACULTATI LITTERARUM

THEOPHILUS DESDOUITS

Philosophiæ Professor

PARISIIS

APUD ERNEST THORIN, BIBLIOPOLAM

58, Mœnia vulgo dicta Saint-Michel

1868

DE

NICOLAI CUSANI PHILOSOPHIA

THESIS

DE

NICOLAI CUSANI PHILOSOPHIA

THESIM

OFFEREBAT

FACULTATI LITTERARUM

THEOPHILUS DESDOUITS

Philosophiæ Professor

PARISIIS

APUD ERNEST THORIN, BIBLIOPOLAM

58, Mœnia vulgo dicta Saint-Michel

1868

DOCTISSIMO VIRO E. EGGER

GRATI TESTIMONIUM ANIMI DISCI-
PULUS OFFEREBAT

PROŒMIUM

Nicolai Cusani, præstantissimi quidem viri, verum nomine tantum noti, philosophiam exponere hoc opusculo conabimur. Qua in exploranda hoc maxime notandum est quod ille, ante renascentium litterarum ætatem, scilicet ineunte quinto decimo sæculo, spreta Aristotelis auctoritate, veterum omnium philosophorum uno velut atque lato mentis ambitu complexus est disciplinas et inter se, quamvis diversas, conciliare aggressus est. Cum enim Pythagoricis operam dederit, multa quoque a Platone mutuatus est, imprimisque ab Alexandriæ philosophis, quibus auctoribus de Deo mira quidem, sed falsa et temeraria asserere non dubitavit. Quinetiam, dum audaci volatu terras, scilicet communem sensum artemque logicam, despectat, eadem verba easdemque sententias interdum usurpat quibus Germani nostra ætate philosophi negant Deum vivere aut intelligere. Neque mirum; etenim se *mysticæ,* ut

aiunt, theologiæ addixerat, et ignoti philosophi cui falso Dionysio Areopagitæ nomen inditum est vestigiis insistebat. Hæc autem philosophia, cum neget animum ratione duce ad Deum attolli posse, ea optime de Deo dici censet quæ longissime a ratione et sensu communi abhorrent. Quo profecto ab errore divus Thomas et celeberrimi Christianorum philosophorum, logicæ artis assectatores, prudenter caverant.

Verumtamen, ut quædam obscura, quædam falsa, notare in philosopho nostro non dubitabimus, ita multa eximia juvabit admirari. Si quis enim, pia mente instinctus, de Deo dicere aggreditur, etsi quando periculosis falsæ viæ erroribus implicari possit, semper tamen ex hac veri indagatione consequitur aliquid. Imo ex his etiam in quibus errat nonnihil fructus percipere possumus; hinc enim excutitur lethifer ille torpor animi, quo plerique, terrestribus rebus nimis intenti, laborare solent. Raro quidem, talibus magistris, pura et innubila lux veri mentibus affunditur : at saltem, inter horrendam obscuritatem sæpe emicant fulgura quæ nobis velut

« Immensam tenebroso in carcere lucem »

intentant; quo repentino fulgore per disruptæ nubis intervalla mentis prospectum licet in infinitum extendere.

Quamobrem operæ pretium fore speravimus si de Nicolao Cusano quædam dixerimus et illius doctrinam explicare tentaverimus. Postquam igitur pauca de vita ejus memoraverimus, inquiremus ordine quid de Deo, quid de mundo, quid de mente humana, et de scientia mortalium docuerit. Deinde, quid ex veteris philosophiæ fontibus, quid ex suo ingenio hauserit dijudicandum erit. Denique, de allata philosophia sententiam ipsi ferre, si detur audaciæ venia, conabimur.

PRIMA PARS

EXPOSITIO

CAPUT I

DE VITA NICOLAI CUSANI

Quanquam Nicolai Cusani nihil aliud quam doctrinam hic exponere instituimus, paucis tamen ac velut per transennam de hujus vita et moribus loqui necesse est Licet enim amor veri studiumque divina et humana scrutandi satis per se luceat, tamen maxima tum admiratione percellimur cum illas virtutes a generoso animo piisque moribus nasci videmus, et cum intactæ vitæ decus industriaque animi fortitudo in doctrina philosophi refulgent. Cui vero mens rectior, cui modestior simul et fortior animus quam Nicolao ,Cusano fuit? Qui, cum plerasque disciplinas amplecteretur seque totum vero contemplando dedisset, nihilominus se rebus Ecclesiæ administrandis et erigendis devovit, nulla prorsus ambitione, nullo alio studio nisi concordiæ et justitiæ amore instinctus.

Cusæ natus erat, in vico Mosellæ imposito, non procul a Treveris, anno post Christum millesimo quadringentesimo primo. Hunc piscatore genitum nobilis patronus, cui puer famulabatur, Daventriam misit ut litteris studeret manifestumque a teneris unguibus ingenium liberalibus artibus excoleret. Celeberrimas deinde Germaniæ et Italiæ scholas adiit,

Pataviique inter doctores adscitus est. Philosophiæ imprimis et mathematicarum disciplinarum studiosum se præbuit, easque animo diligenter hausit.

Magna fuit ejus auctoritas in concilio Basileensi; cumque nihil aliud quam concordiæ causam ageret, concilio simul et summo Pontifici gratissimus evasit. Mox Brixinæ, urbis Tyrolinensis, factum episcopum sacra purpura induit Nicolaus V. Auctoritate virtutis et eloquentiæ fretus, omnes christianos reges ad pacem inter se servandam et ad arma contra Mahumetum II vertenda est adhortatus : qua de re librum scripsit cui *de Pace Fidei* inscribitur. Legatus deinde in Germaniam a Pio II, tum Bohæmos cum catholicis conciliare aggressus est, tum liberiores quorumdam monachorum mores corrigere non reformidavit; non impune quidem, nam in offensionem viri potentis incurrit et in carcerem detrusus est, nec facile vindicatus est in libertatem.

Vixit annos tres et sexaginta, multaque, cum de mathematicis disciplinis, tum de philosophia et theologia scripta nobis reliquit. Ille terram esse in medio mundi positam negavit, eamque in orbem moveri conjectura auguratus est (1). Calendarium quoque emendare aggressus est, emendatumque concilio Basileensi proponere constituit (2).

Fuit ille miti ingenio simplicibusque moribus. Viri modestiam, vili et parabili cultu, parvo famulatu gaudentis, nullumque comitatum affectantis nisi doctorum et litteratorum, historici laudaverunt. Equidem non minori forsan modestiæ argumento est lenitas qua impugnantium theologorum insectationem ferebat atque redarguebat. Exstat enim scriptus a quodam ex ejus discipulis liber, cui *Doctæ ignorantiæ apolo-*

(1) *De Docta ignorantia*, p. 38-39. — Editione Basileensi (1565).
(2) Vide Montucla, *Histoire des mathématiques*, t. Ier, p. 538.

gia inscribitur, et quo Nicolaus ipse sua defendens inducitur. Scilicet Aristotelis quidam assecla (Joannes Vencchus), audacibus Nicolai de Deo sententiis, non immerito quidem, territus, minimeque temperans ingenio, in philosophum nostrum gravissimis verbis erat invectus. Rem retulit discipulus ad præceptorem, qui nihil aliud quam subrisit parumper (1) et, quietis oculis discipulum intuens, non se quidem ab ignorantiæ crimine purgavit, sed contra sibi gratulatus est quod ignorantiæ ipse suæ conscius esset. Redarguere autem primo negat; victus tandem discipuli precibus, sua tueri cœpit. Interpellabat interea juvenis et indignabatur in Peripateticum quod magistri dogmata minime intellecta impugnavisset, ultroque exclamabat : « Ecce (2) mendacis et arrogantis hominis « verba ! » At Nicolaus placida voce suadet ut potius condonet insipienti quam in eum contumeliose invehatur, neque aliud ipse suo adversario imprecatur nisi ut *litaniis* a christianis addatur : « *A dialecticis libera nos, Domine* (3)*!* » Non meminisse non possumus haud simili modestia hujus ætatis doctos viros inter se solitos esse disputare. Idem tamen, cum non suam sed morum causam agi censeret, fuit acerrimus vitiorum insectator, ut patet ex hac de qua supra diximus in monachos severitate.

Vitam ejus conscripsit Gaspardus Hartzemius, Treveris, anno post natum Christum MDCCXXX. Quæ reliquit opera, ea primum collecta sunt Parisiis anno MDXIV. Postea autem Basileæ, anno MDLXV edita sunt. Ejus librorum longa sit recensio. Ut enim omittamus omnia quæ in ejus operibus ad theologiam aut ad mathematicas disciplinas pertinent, de quibus in hoc opusculo disserere non instituimus, quin-

(1) *Apologia doctæ ignorantiæ*, p. 63.
(2) *Ibid.*, p. 69.
(3) *Ibid.*, p. 70.

decim sunt libri in quibus de philosophia et metaphysica disserit (1). Licet obscura admodum oratione et subtilissimis sententiis indagantem sæpe fallat, tamen alte scrutantibus apparet solidum, ut ita dicam, et sibi constans philosophiæ corpus. Præcipuas hujus doctrinæ partes attingere fert animus. Utinam periculosum opus tentantibus sententiarum gravitas et hujus cui studemus philosophiæ altitudo stimulos addat, et oneri succumbentes erigat!

(1) *De Docta ignorantia.*
Apologia doctæ ignorantiæ.
De Conjecturis.
De Filiatione Dei.
De Genesi.
Idiotæ libri.
De Visione Dei.
De Ludo globi.
Compendium de Possest.
De Beryllo.
De Dato Patris luminum.
De Quærendo Deum.
De Venatione sapientiæ.
De Apice theoriæ.
De Deo abscondito.

CAPUT II

DE METHODO

De Oppositorum coincidentia. — De Docta ignorantia

I

Negant omnes *mystici* ratione duce hominem ad Deum posse attolli. Rationis quidem hoc esse munus Nicolaus asserit ut obscura cum claris comparando (1) clariora faciat : at cum nulla re Deus comparari (2) potest. Rationem igitur et artem logicam ad finita pertinere censet. Quæ autem ad finita pertinent, ea de Infinito sunt neganda. Rationis proprium est, quæ spectat ad finita, ut *opposita* inter se conciliari nequeant : ergo, cum de Infinito agetur, *opposita* simul vera esse poterunt. Ex hac quam sæpe jactat *oppositorum coincidentiam* (3) tota fluit ejus philosophia. Hinc Peripateticorum iræ (4), quos ut redarguat petit a mathematicis exempla. Finge animo circulum linea tangi ; differt quidem circumductio a linea ; at si *infinito* radio describetur circumductio, ea cum recta qua tangitur linea confundetur (5).

(1) *De Docta ignorantia*, lib. I, cap. I.
(2) *Ibid.*
(3) *Ibid.*, cap. IV.
(4) *Apologia doctæ ignorantiæ*, loco allato.
(5) *De Docta ignorantia*, lib. I, cap. XIII.

Curva igitur linea non differt a recta si spectes ad *infinitum*. Rursus probari potest motum infinitum nihil aliud esse quam quietem. Finge enim trochum moveri; si lentius movebitur, punctum quodlibet trochi longiore tempore eo revertetur unde discessit; si citius movebitur, breviore tempore revertetur; si vero motu infinito movebitur, simul discedet, simul revertetur; nullo igitur temporis puncto alium locum atque ante obtinuerat obtinebit: ergo quiescet (1); unde liquet, cum de Infinito agitur, motum et quietem idem esse, et « *opposita coincidere.* » Hæc *oppositorum coincidentia* locum ἀξιώματος in mystica philosophia obtinet: hac norma mens in inquisitione veri regenda est.

II

Verum enim vero, cum operam in indagatione veri ponendam esse censeat, non ideo verum posse inveniri existimat Nicolaus Cusanus. Quid non sit verum, non quid sit, novisse potest homo. Nihil enim novisse licet, nisi per rationem; ea autem de Infinito nihil docet, nihil novit: scilicet hoc tantum rationis munus est ut ignota cum notis comparando clariora efficiat (2): at Infinitum cum nulla re finita conferri potest. *Absolutum* igitur *Verum* ignorare hominis est; hæc est una Infiniti scientia si scimus nos illud ignorare (3): cujus ignorantiæ si conscii erimus, tum merito docti vocabimur; *doctam* enim *ignorantiam* assecuti erimus, per quam solam aditus patet ad Deum.

Quæ cum ita sint, non absurde sciscitari queamus cur

(1) *De Possest.*, p. 253.
(2) *De Docta ignorantia,* cap. I, p. 1. (Vide supra.)
(3) *Idid.*

verum sit quærendum, cum inveniri nullo modo possit. Iners enim negotium et ridiculus labor fugientem umbram persequi. Objecta diluit mysticus philosophus asserendo nos majore amore in rem ignotam quam in cognitam flagrare : quemadmodum si quis thesaurum possideat, in quo tam multi nummi jaceant ut eos numerare nemo possit, magis gaudeat quam si numerum eorum noverit ; ita mens eo ardentiore studio flagrat in verum quod illud non posse attingi intelligit (1). Gaudet enim animus, ut ait auctor, barbara forsan sed nervosa oratione, « *infinitas et inexpres-* « *sibiles amoris causas reperiri;... hæc est, ut sic dicam, gau-* « *diosissima incomprehensibilitatis comprehensibilitas* (2). »

Hoc amore instinctus, disruptisque rationis vinculis quibus « *velut equus, natura liber, sed arte et capistro præsepi* « *alligatus* (3), » mens in terrenis rebus constringitur, ad Deum fertur. De quo quid doceat, aut, quo verius loquar, quid vaticinetur jam explicandum est.

(1) *Idiotæ liber* I, p. 139.
(2) *Ibid.*
(3) *Ibid.*, p. 137.

CAPUT III

DE DEO

Nihil posse intelligi nisi per notionem Dei. — Deum esse unum et omnia, *Maximum* et *Minimum*, contrariaque in se complecti. — Quod unum est id esse trinum. — Deum esse rerum *essentiam*, et tamen a rebus esse distinctum. — Deum non existere, sed esse supra quæ existunt.

I

Primum quidem hoc mirandum est, qui negat posse Deum intelligi, eum de Deo dicere. At respondet Nicolaus Cusanus, Deum quidem non intelligi, nihil vero nisi per Deum existere aut mente concipi posse. Res enim ob hoc tantum existunt quod habent aliquid *τοῦ ὄντος* : ob hoc tantum intelliguntur quod inest eis aliquid veri. Atqui *τό ὄν* est Deus ; Verum est Deus. Itaque nihil sit, nisi Deus existat. Item, nihil sit magni, nihil justi, nisi sit *absoluta Magnitudo* et *absoluta Justitia* (1). Nihil vero aliud est *τό εἶναι* nisi participare Deum (2). Quoties igitur aliquid veri affirmamus, Deum esse affirmamus. Quodlibet cogitando, Deum cogitamus ; quodlibet dicendo, Deum loquimur. Quo fit ut

(1) *Idiotæ liber* II, p. 143.

(2) *De Docta ignorantia*, lib. II, cap. I et *passim*.

difficilius etiam sit Deum negare quam naturam ejus investigare.

Adhibitis vero, more Pythagoræorum, mathematicis rationibus, urget Nicolaus et vincit ut intelligamus nihil esse finiti nisi sit Infinitum. Ob illud enim solum major aut minor est numerus quia *Infinito* propior est aut ab *Infinito* remotior (1). Notandum est præterea *Infinitum* extra numerorum seriem esse (2) : cumque non sit numerus, unitas est (3). Quod autem est *Unum*, idem est τό ὄν. (Omnium enim principium et fons dici potest sive *Unum*, sive τό ὄν (4) : unde liquet duobus his vocabulis unum idemque significari.) Sequitur hinc Infinitum, quia est *Unitas*, ideo esse idem atque τό ὄν. Absurdum sit igitur si quis dubitet num sit Infinitum; dubitet enim utrum sit τό ὄν necne, quæ quidem dubitatio secum pugnat (5).

II

Forsitan illa subtilia videntur : subtiliora etiam quæ sequentur ; quod in vitium incurrat necesse est qui numerorum rationibus naturam Dei investigare conabitur. Pergit vero geometres; jam satis constat Infinitum, id est Deum, esse *Unitatem ;* atqui Infinitum est *Maximum :* ergo *unitas* est *Maximum*. Rursus vero *unitas* minor est omni numero ; ergo *unitas* est *Minimum*. Itaque Deus quia est *unitas*, simul et *Maximum* et *Minimum* est (6). Neque

(1) *De Docta ignorantia*, lib. II, cap. II.
(2) *Ibid.*
(3) *Ibid.*
(4) *Ibid.*
(5) *Idiotæ liber* II, cap. I.
(6) *De Docta ignorantia*, lib. I, cap. IV.

mirum si *Maximum* et *Minimum* idem esse videantur; utrumque enim extra numerorum seriem est (1) : item neutrum augeri aut minui potest. Quod si hæc inter se pugnant, meminerimus in Deo « *opposita coincidere.* »

Minimum præterea numerorum est principium; item *Maximum* (ut supra vidimus) : ergo Deus, seu *Maximum*, seu *Minimum* dicatur, principium est numerorum, licet extra seriem numerorum sit (2). Non essent igitur numeri si Deus non existeret.

III

Nunc age naturam *Unitatis* (quæ Deus est), attente perpendamus. *Unum* fuit ante *alterum; alterum* alicui rei *succedit;* igitur *alterum* in tempore natum est; *unum*, quod fuit ante *alterum*, ante tempus fuit, ergo æternum (3). Rursus *æqualitas* est æterna; præcedit enim *inæqualitatem*, quæ quidem *alterum est*, ideoque ante tempus exsistit *æqualitas* (4). Denique, *unum* et *æqualitas,* quæ sunt ab æterno, inter se ab æterno connectuntur (*Unum* enim sibi ab æterno est æquale). Ergo æternus est *unitatis* et *æqualitatis nexus.* Jam vero, cum hæc tria, scilicet *unitas*, *æqualitas* et *nexus* earum, æterna sint, tria idem sunt (5). Quapropter Deus unus simul et trinus (6) : neque aliam ob causam Pythagoras *trinam Unitatem* adorandam esse censebat (7).

(1) *De Docta ignorantia,* lib. I, cap. v.
(2) *Ibid.*, cap. v.
(3) *Ibid.*, cap. vii.
(4) *Ibid.*
(5) *Ibid.*
(6) *Ibid.*
(7) *Ibid*

Æqualitas ab *Unitate* generatur; nihil est enim aliud æqualitas nisi *ejusdem,* ut ita dicam, *duplicatio;* duplicatum vero a simplice generatur (1). *Nexus* autem neque ab *Uno* neque ab *Æqualitate* generatur, sed ex utroque « *procedit* (2); » est enim nexus « *quod ab altero in alterum extenditur* (3). »

Quæ sequentur non multum abest quin ab Hegeliano scripta fuisse videantur.

Unitas individua est : *Æqualitas* autem tum esse dicitur cum duæ res inter se conferuntur, aut saltem cum una res secum comparatur ac veluti duplicatur : atqui duplicare idem est atque dividere et discernere ; unde dici potest *æqualitatem* esse *discretionem.* In Deo sunt igitur « *Indivisio*, *Discretio* » et utriusque « *Connexio.* » Quid autem est *Connexio*, nisi *Discretionis* in *Indivisionem* regressus (4)? Credas Hegelium de « *Processu Ideæ* » loquentem audire, quæ, postquam *per se* atque *in se* fuerit, *ex sese egreditur*, ac demum in se redit atque, veluti compos voti, se fruitur. Præterea, Deum esse Intelligentiam Nicolaus Cusanus addit : ut vero Intelligentia sit, tria necessaria sunt, scilicet opus est ut aliquis intelligat, ut aliquid *intelligibile* sit, ac demum ut intelligibile ab intelligente intelligatur. Deus est igitur *Intelligens*, *Intelligibile* et *Intelligere* (5). Si recentioribus vocabulis a Germanis philosophis creatis uti liceat, non immerito dicatur in Deo, Nicolai sententia, esse tria, scilicet *subjectum* (intelligens), *objectum* (intelligibile), et *objecti subjectique identitas.* Nonne hic mira cum Hegelii philosophia similitudo deprehenditur? Attamen est etiam dissimilitudo ; Hegelius enim mundum a

(1) *De Docta ignorantia,* lib. I, cap. VIII.
(2) *Ibid.,* cap. IX.
(3) *Ibid.*
(4) *Ibid.,* cap. X.
(5) *Ibid.*

Deo, sive *Idea* non plane discernit. Nicolaus contra mundum a Deo differre confirmat, licet *essentiam* rerum a Deo et in Deo esse censeat : quod jam ordine explicandum est.

IV

Sibi Pythagoræus philosophus temperare non poterat quin *Trinitatem* cum trigono compararet (1). Quænam ex hac comparatione oriantur attendamus. Finge tibi trigonum infinitum : quodlibet latus erit, infinitum ; non igitur minus erit cæterorum laterum summa, sed prorsus æquale huic summæ sit necesse est. Erit ergo trigonus recta linea (2). Recta autem linea, si infinita est, cum infiniti circuli circumductione confunditur : unde sequitur infinitum trigonum esse circumductionem. Jam vero circumductio, motu suo, sphæram generat, ac sphæra ἐν δυνάμει dicenda est : quod autem est ἐν δυνάμει hoc Infinitum est ἐν ἔργῳ (3). Trigonus igitur infinitus est infinita sphæra : cujus centrum ubique est, circumductio nusquam ; aut potius « *centrum* « *est in ipsa circumductione* (4). » At centrum est punctum ; itaque circumductio atque tota sphæra, si infinita est, jacet in uno et simplici puncto. Inde liquet Deum esse punctum et sphæram infinitam.

Ex hac « *circulari,* » ut ait ipse « *theologia* (5), » multa consequuntur. Punctum quidem, cum infinitæ sphæræ sit æquale, omnia loca simul obtinet. Est igitur ubique, nec

(1) *De Docta ignorantia*, lib. I, cap. xx.
(2) *Ibid.*, cap. xiv.
(3) *Ibid.*, cap. xvi.
(4) *Ibid.*, cap. xxi.
(5) *Ibid.*

tamen ullum in locum extenditur (1). *Immensus* ergo Deus est, neque ideo *extensus*. Item æternus est : nam punctum est simplex ; quod est simplex mutari nequit ; quod immutabile, id est æternum. Denique, quod est immutabile non movetur, sed quiescit ; quod quiescit, id motu infinito agitur (2) ; quod motu infinito agitur adest in omni loco et in omni tempore. Ergo Deus, ideo quod est punctum, semper et ubique est (3), nec tamen usquam aut unquam. Opposita igitur in se complectitur atque « *complicat* (4). »

Quemadmodum autem omnem locum, omne tempus licet in spatio neque in tempore sit, complectitur, ita omnes rerum virtutes ac « *substantiam*, » licet differat a rebus, in se ipse continet atque « *complicat* (5). » Est enim Deus *τό ὄν* et Justitia et Magnitudo ; in rebus autem finitis est aliquid *τοῦ ὄντος*, aliqua Magnitudo, aliqua Justitia ; ergo est aliquid Dei (6) : imo ideo existunt quod aliquid Dei « *participant*. » Ideo vero differunt a Deo quod Deus non est *aliquid τοῦ ὄντος*, sed omne *τό ὄν*. Quod autem deest rebus finitis hoc eis *κατά συμβεβηκός* deest (7). Nulla vero causa est *τοῦ συμβεβηκότος*. Proinde res a Deo acceperunt omne quod inest ipsis veri ; quod autem non acceperunt quodque ipsis deficit, id a nulla causa exoritur, aut potius id nihil est (8). Non aliud significat Nicolaus cum dicit Deum esse *rerum* « *essentiam* (9) » et substantiam. Immerito igitur numeraretur inter *Pantheistas*, quorum sententia nihil est in Deo quod non sit in

(1) *De Possest.*, p. 254.
(2) *Ibid.*, p. 253.
(3) *Ibid.*, p. 254.
(4) *De Docta ignorantia*, lib. I, cap. XXII.
(5) *Ibid.*
(6) *Ibid.*
(7) *Ibid.*, lib. II, cap. II.
(8) *Ibid.*
(9) *Ibid.*

rebus. Verius inter Platonicos adscisceretur, utpote qui res dixerit non esse Deum, sed *quemdam in modum* divinas virtutes « participare. »

V

Verumtamen, licet inter Pantheistas non sit numerandus, idem in Eleaticorum et Alexandrinorum errorem incidit, Deumque tantum a rebus finitis differre existimat ut, cum res *existant*, Deus *existere* nequeat. Esset enim aliqua Dei cum rebus finitis similitudo, si *existeret*. *Idealistas*, novo vocabulo, recentiores philosophi eos vocant qui doctrinam illam, ex Plotini libris haustam, tueri conantur. Quorum sententia nihil est Deus, nisi *quoddam a Ratione humana excogitatum*. Nos ideo impietatis arguunt quod Deum vivere, intelligere, amare, credimus; hominis enim ea sunt; humana autem ad Deum transferri nefas ducunt. Haud aliter Nicolaus Cusanus, Dionysio Areopagita duce et magistro, docet Deum non posse nominari (1); de eo, omnia neganda esse (2); nihil ei posse *attribui;* eum demum, cum exsuperet omnem *substantiam*, esse *insubstantialem* (3). Quid sibi velit barbarum illud vocabulum manifeste apparet : quod enim nullam habet *substantiam*, id nihil est. O præclaram pietatem, qua negatur Deum existere! Excusabit forsan mysticus philosophus *oppositorum coincidentiam :* poterit enim Deus simul existere et non existere. Quam excusationem si quis admittat, necesse est ut fateatur atheos esse omnium hominum maxime religiosos; eo enim quod esse Deum negant, eum esse affirmant.

(1) *De Docta ignorantia,* lib. I, cap. XXIV.
(2) *Ibid.,* cap. XVI.
(3) *De Venatione sapientiæ,* cap. XXX.

Quanquam autem de Deo quædam repugnantia rationi docet philosophus noster, cum de *simplici Unitate,* in se spectata, et ab omni *substantia* abstracta, disserit, idem contra, cum de Creatore mundi dicit, multa admiranda et Platone aut Augustino digna enarrat. Adeo hæc optima via est qua se homo ad Deum extollat, si a finitis rebus ad Auctorem rerum avolamus! Cum enim aliquam Dei similitudinem res finitæ habeant (qua dempta similitudine nihil sint), necesse est ut rursus aliquam cum rebus similitudinem Deus habeat. Non fieri potest quin exemplar imagini prorsus dissimile sit.

CAPUT IV

DE CREATIONE. — DE MUNDO. — DE PROVIDENTIA

Omnia quæ sunt Deum *participare.* — Deus ad similitudinem sui vocavisse quod non erat, quia ipse est qui est. — Quo sensu mundus optimus omnium qui fieri potuissent mundorum, itemque æternus et immensus dicendus sit. *Possibilia* finita numero esse. — Mundus est imago Dei. Totus est in singulis sui partibus. — Quomodo res eo perfectiores sint quo magis *Unitatem participant.* — De Providentia.

I

Nihil esse in rerum natura quod non sit in Deo jam antea vidimus. Sol, exempli gratia, et rotundus et lucidus est et calore suo vitam plantis animantibusque profundit. Deus vero, utpote qui ubique sit, omnes formas in se complectitur, idemque lucem et calorem diffundere vitamque dare potest. Non tamen sol est Deus; Deus omne spatium implet et vitam iis quæ sunt communicat : sol autem certa forma determinatus est, neque vitam dat creandis, sed creata tantum alit et fecundat. Scilicet a Deo simul et a nihilo res finitæ exortæ sunt; aliquid τοῦ ὄντος a Deo traxerunt; aliquid τοῦ μὴ ὄντος ex ni-

hilo in quo jacebant, velut proprium ac peculiare sui signum, servaverunt. Neque poterat τό μὴ ὄν omne τό ὄν in se recipere; Deus enim solus τό ὄν in se habet integrum (1).

II

Cur vero Deus τό μὴ ὄν ad vitam vocaverit. Hoc fere modo Nicolaus Cusanus explicat. Deus est immutabilis : ergo sui similis ; aut potius Deus ipsa *similitudo* est (2). *Similitudinis* proprium quasi munus est ut *similia faciat* quæ nondum similia sunt (3). Quid autem dissimile Deo nisi τό μὴ ὄν? Erat igitur Dei ut τό μὴ ὄν vocaret ad similitudinem sui, quæ quidem similitudo nihil est aliud nisi τό εἶναι.

Hinc etiam colligendum est omnia quæ sunt imaginem Dei quemdam in modum referre. Bona igitur est rerum natura, utpote quæ Deo similis sit, neque tamen perfecta, cum a creatore differat. Quæ, quia differt a Deo, idcirco diversis constat ex partibus ; eadem tamen, quia Dei refert imaginem, ideo quamdam *unitatem* habet, diversis partibus ordine certo compositis, unde Græci naturam κόσμον, sive ordinem appellaverunt (4).

III

Non modo bonum esse mundum, sed etiam quam optimum docet philosophus noster. Rogari forsitan possit quo pacto ea quæ finita sunt quam optima esse videantur : nihil enim vere optimum est, nisi ipse Deus. Acute respondet Nicolaus

(1) *De Docta ignorantia*, cap. II.
(2) *De Genesi*, p. 129.
(3) *Ibid.*
(4) *De Genesi, ibid.*

mundum quidem non eodem sensu quo Deus optimus dicitur optimum esse habendum, sed tamen rerum naturam inter omnia quæ fieri potuissent ita excellere ut nihil melius creari, nihil admirabilius ab ipso Deo effici queat. Non vero hæc docendo potestatem Dei aliquo termino includimus; licet enim Deus omnia facere possit, tamen non omnia posse fieri voluit, sed libera voluntate constituit quid fieri possit, quid nequeat (1). Falso plerique philosophi sibi finxerunt *possibilia* numero infinita esse (2) : quod si ita foret, Deus fieri posset. Quis autem certis finibus determinavit divinam in creandis rebus potentiam, nisi ipse Deus? Deus igitur non tantum res creavit, sed etiam rerum *possibilitatem* (3).

Quæ cum ita sint, Deus, creanda rerum natura, id effecit quod optimum fieri poterat. Si ad infinitam Dei naturam respicies, invenies aliquid melius et majus mundo; si autem ad ea spectes quæ Deus fieri posse voluit, nihil melius neque majus reperies. Summum, ut ita dicam, locum inter *possibilia* mundus obtinet, atque in eum desinit *possibilium* finita series. « *Possibilitas* » ultra mundum « *non se extendit,... resistente* « *possibilitate essendi aut materia quæ in infinitum non est* « *actu extensibilis* (4). »

Quemadmodum nihil melius mundo fieri potuit, ita nullum tempus ante mundum creatum effluxit (5). Scilicet creatum simul cum mundo tempus est; hoc sensu, æterna rerum est natura; neque tamen hæc æternitas cum æternitate Dei comparanda est, sed potius « *creata æternitas* (6) » est appellanda.

(1) *De Ludo globi*, p. 213.
(2) *De Docta ignorantia*, lib. II, cap. VIII.
(3) *Ibid.* — Cf. *de Venatione sapientiæ*, cap. III.
(4) *De Docta ignorantia*, lib. II, cap. I.
(5) *De Ludo globi*, p. 212.
(6) *De Dato Patris luminum*, cap. III.

Minime dubium est quin de *spatio* eadem quæ de tempore censuerit philosophus noster, nempe *spatium* non ultra fines mundi esse extensum neque ante rerum naturam creatum fuisse; itaque omnia loca in quibus corpora creari potuerunt mundus occupat : hoc quidem sensu immensus est, scilicet quam maximus ; non tamen par immensitati Dei, cum spatium, extra quod nullum corpus esse aut etiam excogitari potest, certis finibus a libera voluntate Dei quasi descriptum atque determinatum fuerit.

IV

Jam vero de natura mundi agendum est. Ac primum, cum sit imago Dei, quidquid de Deo, id ipsum de mundo dicendum est, dummodo animum advertamus Deum quidem esse omnia *absolute*, mundum vero esse omnia *contracte* (1). Quid sibi velit hæc barbara vox ambigi potest : est quidem locus ubi *concretum* (2) pro *contracto* velut in modum συνωνύμου, posuit Nicolaus Cusanus. Forsitan *contractum* et *concretum* vocavit quod nos vocamus *finitum*. Verum metuo ne, cum mundum esse *concretum* dixerit, Deum esse meram *ideam* significaverit ; hac enim comparatione utitur : quemadmodum « *albedo absoluta* (3) » differt a corporibus albis, ita Deus a mundo. At enim albedo quid aliud est nisi *abstractum* aliquid a corporibus, quod nullo modo existat si non sit in corporibus? Deusne, judice Nicolao, inter *abstracta* et inter *scholasticorum quidditates* referendus esse videatur? Quod si censuerit, erravit profecto, sed hæc sit excusatio quod,

(1) *De Docta ignorantia,* lib. II, cap. IV.
(2) *Ibid.*
(3) *Ibid.*

cum esset *realista, ideas* ipsas et *quidditates* vere et reipsa existere judicabat : imo verius existere *ideas* quam res, quæ nihil veri habent nisi ab *ideis*, existimabat. Falso igitur argueretur negavisse Deum ; nec tamen omni errore esse absolvendum censeo.

Quæcumque autem admittenda esse interpretatio videatur, quod de Deo, idem de mundo dicendum censet. Est quidem Deus *absolute* infinitus ; mundus autem *contracte* infinitus, cum immensitas ejus certis finibus temporis et spatii « *con-* « *trahatur* (1). » Præterea unus simul trinusque est ; certo enim ordine certisque legibus ita naturæ partes inter se religantur ut natura vere una sit (2) : tamen constat *materia* et *forma* necnon materiæ cum forma *connexione* (3), quem quidem « *nexum* » cum Aristotelis ἐντελέχεια non immerito contulerimus.

Quemadmodum autem Deus est simplex et omnia in se complectitur, ita mundus, licet partes diversas habeat, unus et simplex, totusque in singulis partibus diffusus est ; nec homo solus, sed res quælibet μικρόκοσμος (4), ita ut « *quodlibet* « *in quolibet* (5) » esse videatur. Non illud sic interpretandum est ut credamus solem esse lunam, aut Socratem esse Aristotelem ; ut vero in Socrate et in Aristotele una eademque est « *humanitas* (6) » quamvis ille ab hoc differat κατὰ συμβεβηκός, ita soli et lunæ totique naturæ subest una eademque οὐσία. Hanc omnium rerum « *substantiam* » vocat *infinitum contractum* sive *concretum* (7) Nicolaus, asseritque a Deo differre, quanquam in eo sit Deus ut albedo in corporibus

(1) Vide supra.
(2) *De Genesi*, p. 129.
(3) *De Docta ignorantia*, lib. II, cap. VII.
(4) *Ibid.*, lib. III, cap. III. — Cf. *Ibid.*, lib. II, cap. V.
(5) *Ibid.*, lib. II, cap. V.
(6) *Ibid.*, lib. II, cap. IV.
(7) *Ibid.*

albis (1). Non multum videtur differre hæc mundi «*con-*
« *tracta quidditas*» ab illo quod sibi finxerunt aliqui philoso-
phi *Ente cosmico.* Conferre etiam possis cum ea, de qua
disseruit posthac Spinoza, *natura naturante.*

Non modo singulis rebus inest *infinitum concretum*, sed
etiam ex *hoc infinito* constant atque componuntur quæcum-
que in longitudinem, aut latitudinem, aut altitudinem, extensa
sunt : hoc est elementum, hæc est monas ex qua corpora
omnia exorta atque, ut ita dicam, conflata sunt (2). Quæ, etsi
mira et inaudita videri possunt, geometria demonstrantur (3).
Quodlibet corpus compositum est : quod autem compositum
est, id ex principiis aut elementis constat. Corporis elementa
sunt superficies; superficiei autem lineæ; lineæ vero quod-
nam elementum erit? Num punctum? At nequit : quomodo
enim ex hoc quod nullam patet in magnitudinem nascatur
magnitudo? Rursus nequit ulla magnitudo pro elemento
rerum haberi; compositum enim esset elementum, quod qui-
dem dictu repugnat (4). Quandoquidem igitur elementum
neque certam magnitudinem habere possit neque nullam,
restat ut habeat infinitam. Unde colligitur *infinitum* esse
primordium corporum.

Quod si quis inquirat quomodo ex infinito nascatur finita
magnitudo, respondet Nicolaus *infinitum* « *in alteritate par-*
« *ticipari* (5) ; » unde fit ut res, licet aliquid ex *infinito*
habeant, tamen ab eo differant. Nihilominus, nullum est
aliud *elementum* quam ipsum infinitum, vanaque somnia
sunt eorum philosophorum qui *atomos*, aut *monades*, aut
quolibet nomine corpuscula excogitaverunt.

(1) *De Docta ignorantia*, lib. II, cap. IV.
(2) *Ibid.*, lib. I, cap. XVII. — Cf. *De Conjecturis*, lib. II, cap. IV.
(3) *De Docta ignorantia*, lib. I, cap. XVII.
(4) Cf. Leibniz, *Monadologie*.
(5) *De Conject.*, lib. II, cap. III.

V

Præterea, cum *infinitum* « *in alteritate participetur*, » non potest totum *participari*, sed magis aliis, minus aliis communicatur : hinc alia perfectiora sunt aliis, alia minus perfecta ; quoque verius *una esse* res dici potest, eo melior, eo Deo similior est ; *unum* enim et *infinitum* idem sunt. Imo vero omnia ex *unitate*, cum sese evolvente atque explicante « *in alteritatem* (1), » tum sese ex *alteritate* in suam « *unitatem* » recipiente atque recolligente (2), exoriuntur. Mira quidem hoc in loco rursus invenitur cum Hegelii doctrina similitudo. Quomodo autem hinc fiat ut, velut diversis gradibus, alia aliis perfectiora evadant, jam nunc inquiramus. Scilicet, cum « *unitas* » sese « *alteritati*, » seu *τό ὄν τῷ μή ὄντι* communicat datque aliquid sui participandum, *simplex* quidem in *compositum* evadit ; simplex vero per se incorruptum ; compositum autem corrumpi dissolvique potest ; ergo *unitas* sese communicando in deterius mutata est. At, cum, materia creanda, *unitas* in *diversitatem*, ut ita dicam, immersa sit, in plantis contra aut animalibus creandis, quorum rami aut membra ad unius corporis vitam concinnandam pertinent atque consentiunt, *unitas* in se redit seque recolligit (3). Quamobrem gignentia et animalia lapide aut humo perfectiora. Animus demum humanus non modo vivit, sed ipsius vitæ principium et fons est (4), corpusque in unam quamdam individuamque formam redigit ; nulla est igitur his in terris Deo similior imago.

(1) *De Conjecturis*, lib. I, cap. XI, XII.
(2) *Ibid.*, cap. XII.
(3) *De Mente*, cap. V.
(4) *Ibid.*

Quæ si Leibnitzianis vocabulis exprimere libeat, dici possit « *unitatem*, » ex qua velut elemento constant omnia, esse *monadem* seu « *atomum substantiæ;* » animum vero, quo diversæ corporum partes inter se religantur atque in unam formam rediguntur esse « *monadem centralem.* Sententia prorsus inter se concordant Leibnitzius et Nicolaus Cusanus, verbis tantum discrepant. Quinetiam apud nostrum philosophum reperitur illa de qua multus est Leibnitzius « *lex* « *continuitatis*, » et « *indiscernabilium* » doctrina. Negat enim Cusanus posse duas res « *Æqualitatem* » sive « *Unitatem* « *æqualiter participare* (1). » Quod si fieri possit, hæ duæ res non jam duæ sint, sed in unum evadant atque confundantur. Est ergo infinita rerum finitarum series inter se « *perfectio-* « *nis gradu* » differentium. Nulla autem Deo par est (2), nulla *nihilo* non melior. Quæ tamen meliora sunt, ea Deo propiora atque propiora fiunt ; quæ deteriora, ea magis ac magis ad *nihilum* descendere atque tendere videntur, licet nunquam in *nihilum* evadere queant. Nullus autem locus in hac continua rerum serie vacat; cujusque enim generis quam optima cum deterrimis prioris generis confunduntur (3), atque, ut ait Nicolaus, *coincidunt.* (*Coincidit*, exempli gratia, *τό ζωόφυτον*, deterrimum animal, cum plantis, optimaque plantarum est existimanda)

Exsistit igitur natura rerum quam maxime perfecta fieri poterat Creatoris imago. Nam, si plura sunt in mundo, tamen ea in *unum* ordine suo redacta sunt et continuitate partium suarum Dei *immensitatem unitatemque*, quatenus finitis creatisque rebus licet, effingunt Quam quidem naturæ philosophiam ducentis fere ante quam scriberet Leibnitzius annis

(1) *Excitationum liber* I, p. 372.
(2) *De Docta ignorantia,* lib. III, cap. I,
(3) *Ibid.*

excogitavisse (1) non mediocris erat ingenii ; quod si nulla alia laude Nicolaus Cusanus inclaruisset, foret tamen inter nobiles philosophos merito annumerandus.

VI

Quo pacto mundus a Deo creatus sit et a Deo habeat quidquid veri bonique ei insit, explicatum est : qua autem ratione ea quæ creavit Deus noverit atque administret inquirendum superest. In hoc pauciora minusque plana, imo minus vera dixit.

Scilicet omnes rerum formas *Verbum Dei* novit : at nihil esse diversi potest in Deo aut in mente divina ; ideo igitur formas omnes Verbum novit quod hæ rerum formæ sive *ideæ* in mente divina inter se « *coincidunt* (2). » Sol, exempli gratia, non est luna ; sed *κατά συμβεβηκός* tantum differunt, atque *οὐσία* « *coincidunt.* » Deus autem, cum unam eamdemque rerum *οὐσίαν* noverit, omnes formas sua mente complectitur ; nec novit ut diversas, licet diversæ sint ; nam « *opposita* » in « *Deo coincidunt* (3). »

Obscura sententia : neque apparet quomodo Deus *malum* cognoscat, utpote qui *τό συμβεβηκός* nesciat. At, si nescit malum, quo pacto punire potest ?

Age vero, quod Deus novit, id *noscendo* creat (4). Ergo quidquid fit, cum a Deo omnia nota sint, ab ipso Deo efficitur. Hæc facile ad *Pantheismum* redigantur.

Nullum profecto locum in hac philosophia liberum arbi-

(1) Fatendum tamen est ea Nicolaum Cusanum Alexandrinis philosophis legendis excogitavisse, neque parum adjumenti ei a Plotino Procloque fuisse.

(2) *De Visione Dei,* cap. VIII et seq.

(3) *Ibid.*

(4) *Ibid.*

trium obtinere potest. Cuncta enim fiunt a Deo. Enititur tamen Nicolaus ut libertatem cum mystica doctrina conciliet (1). Homo scilicet aut legendi aut non legendi, prout voluerit, potestatem habet : utrumlibet vero fecerit, illud « secundum « Dei Providentiam » quæ « in se *opposita complicat*, eve- « niet (2). » Difficile quidem intellectu. Quod si nulla alia via, nisi per *oppositorum coincidentiam* libertas cum Providentia conciliari queat, timendum sit ne fragili fundamento qui de hac re disserunt philosophi innitantur.

(1) *De Docta ignorantia*, lib. I, cap. XXIII.

(2) *Ibid.*

CAPUT V

DE MENTE HUMANA

Mentem, sui consciam, *numero quadrato* similem esse. — Mentem esse vitæ principium. — Mentem omnium rerum mensuram esse, nihilque nisi *suas formas* novisse, *ideoque* signa rerum, non res, ab animo percipi. — Scientiam humanam imaginem esse divinæ scientiæ.

I

Inter recentiores philosophos satis constat, cum de natura mentis inquiritur, non ratiocinando sed observando animo agendum esse. At Nicolaus Cusanus, ut qui a Pythagoricis acceperit « animum esse numerum, » de mente, geometrarum more, ratiocinatur. Geometræ autem de tribus tantum rebus disserunt, scilicet : de numeris, de motu et de mensura rerum. Non igitur quærit Nicolaus qui sit et qualis, sed *quotus* et *quantus*, quo motu præditus, denique cujus rei *mensura* sit animus.

Primum quidem omnia docet *ad* « quatuor *unitates* (1) » redigi, scilicet : individuam *unitatem*, seu punctum, deinde numerum aut superficiem, quæ, cum per se multiplicatur, in quadratum evadit, ac denique, quadrato rursus per numerum multiplicato, fit cubus (2). Quippe Deus est *unitas :*

(1) *De Conjecturis*, cap. VI.
(2) *Ibid.*

intelligibiles autem rerum formæ, quandoquidem a Deo generantur, *numero* comparandæ sunt; generatur enim numerus *unitate;* ut vero in numero simul *unitas* est et diversitas, ita in *formis* rerum est aliquid τοῦ ὄντος nec non aliquid τοῦ μή ὄντος (formæ enim sunt rerum finitarum). Quemadmodum autem ex numero per se multiplicato fit quadratus numerus, sic *ex intelligibilibus formis* per intelligentiam intellectis ac velut per se multiplicatis fit humanus animus (1). Cubus denique constat ex quadrato et ex « *altero* (2) » numero; ita corpus ex animo et « *altero* » natum est : corporis enim *forma* animus est; materiei autem, ideoque « *alteri* » forma illa admixta est. Quamobrem cum *cubo* corpus comparari potest (3).

Ex hac geometria concludit philosophus animum nostrum, cum sit quadratus numerus, a numero, scilicet ab *Ideis*, generari, corpus vero, cum sit cubus, ab animo informari ac moveri. Quare inter eos qui, Aristotele magistro, animum esse corporis ἐντελέχειαν asseruerunt, est annumerandus.

II

Animum se ipsum movere dixerant Pythagorici : quibus ducibus, eum esse motus principium et fontem Nicolaus docet. Vita autem motus est; nullus et igitur vitæ fons nisi animus (4). Inde petit argumentum immortalitatis (5). Mens enim, cum sit motus principium, corpus movet neque ipsa

(1) *De Conjecturis*, cap. VI, IX.
(2) *Ibid.*, cap. IX.
(3) *Ibid.*
(4) *De Mente*, cap. V.
(5) *Ibid.*, cap. XV.

movetur : quod vero non movetur non est in tempore ; non ergo mens ullo modo tempore dissolvi potest.

Non modo tempore dissolvi nequit animus, sed etiam nihil aliud est tempus nisi *motus mensura* (1), quædam ab animo excogitata. Non aliter de tempore Kantius sentiebat : sed multo mirabilior inter utrumque philosophum consensio de *cognitione* definienda, quam quidem nullo modo a rebus, sed a se animum trahere Nicolaus docet.

III

Sæpe a philosophis jactatum est « nihil *esse in intellectu* « *quod non prius fuerit in sensu.* » Refellit hunc errorem Nicolaus (2), imo vero negat quidquam sensibus posse cognosci, asseritque nihil a nobis percipi, sed tantum formas rerum, non autem res ipsas, menti nostræ notas esse (3). Ut recentioris philosophiæ vocabulis utamur, non res, sed rerum « *ideas repræsentativas*, » seu, ut ait Malebranchius, *archetypum* « *intelligibilem* » novimus. Quod ut argumento confirmet Nicolaus, animadvertit rem quamlibet eo nomine vocari quo forma ejus, non quo materia designatur. Itaque vas ex ligno non *lignum*, sed *vas* nuncupamus (4).

Verum enimvero, quas rerum formas novit animus, eæ menti nostræ insunt. Quoties igitur mens aliquid novit, nihil aliud quam seipsa novit, et rem cognitam « sibi *assimilat* (5). » Mens ob illud dicenda est *mensura rerum* (6). Eas autem rerum ideas, nostræ menti

(1) *De Mente*, cap. xv.
(2) *Ibid.*, p. 150.
(3) *Ibid*, ad initium circiter.
(4) *Ibid.*, p. 650.
(5) *Ibid.*, cap. iv.
(6) *Ibid.*, cap. xv.

insistas, non tantum *formas*, sed etiam *signa* vocat Nicolaus : hinc nos ait, non quidem *res*, verum *signa rerum* percipere (1). Haud sane differt in hoc philosophus noster a Kantio. *Signa* enim quid sunt, nisi *τά φαινόμενα, res* autem, quarum *οὐσίαν* scrutari nefas, quid aliud nisi *τά νοούμενα*?

Una tamen est scientia, geometria scilicet, in qua *Verum* ipsum, non modo *signa veri* percipimus. Cur ita sit non alia est causa nisi quod non de *rebus* ipsis, sed de *formis* tantum in geometria agitur (2) : has autem formas ipsi animo inesse jam supra dictum est ; suam igitur naturam mens cognoscit cum de numeris aut de figuris aliquid cogitat. Non alia erat Kantii sententia, cum logicam artem ideo ab omni errore immunem esse fateretur quod ea de *formis* humanæ mentis, non de *rebus* externis ageret ac dissereret.

IV

Non tamen inter scepticos Nicolaus Cusanus merito adsciscatur. Persuasum enim habet mentem hominis imaginem esse divinæ mentis, ideoque *formas,* quas mente concipimus, earum quas Verbum Dei concipit *formarum* similitudinem referre (3). Quapropter, cum res ad similitudinem animi nostri cogitando redigimus, eas ad similitudinem ipsius Veritatis effingimus. Non tamen veram scientiam assequi possumus, at saltem imaginem veræ scientiæ, quam *doctam ignorantiam* vocari decet. Insitæ quidem nostræ menti *Ideæ* sunt signa veri : quid autem illis signis significetur intelligere non licet (4). Ea est igitur humanæ rationis conditio

(1) Compendium, cap. II.
(2) *De Possest.*, p. 259.
(3) *De Mente,* ad initium.
(4) *De Genesi,* p. 138. — Cf. *de Mente,* cap. V.

quæ fictorum a Platone captivorum, qui rerum tantum umbras adspiciebant. Ut vero ex umbra rei aliquid de natura aut saltem forma hujus rei conjicere fas est, ita hominum scientia *conjectura* est appellanda (1). Non autem, licet imperfecta sit, adspernanda est illa scientia ; magni enim æstimandum est posse aliquid de Deo conjicere.

Nunc age qua ratione et via ad hanc imaginem veri cognoscendam homo perveniat attendamus. Primum quidem illud notandum est Nicolaum Cusanum non præcipere ut, velut obturatis auribus, clausis oculis, obtusis denique omnibus sensibus et corpore, quantum fieri potest, abjecto, se homo in *ecstasim* det rapiendum. Imo corpus sensusque negat posse obstare vero intelligendo (2) : sensus enim, licet nihil doceant, excitant animum atque ut ita dicam expergefaciunt (3). Experrectus vero animus rerum formas concipit, aliasque ab aliis discernit (4) ; quod quidem proprium munus est rationis. Quemadmodum autem sensibus ratio, ita ratione excitatur *intellectus* (5) ; qui, diversarum formarum omissa varietate, ad *Unius* notionem sese attollit, agnoscitque ea omnia quibus sensus impelluntur quæque ratione percipiuntur nihil esse nisi ipsius imagines Dei : et, licet Dei naturam investigare nequeat, intelligit tamen nullas res, nisi sit Deus, posse existere.

Non aliam ad Deum affectandam viam Plato præcipiebat, cum διαλεκτικῇ πορείᾳ mentem a consideratione rerum finitarum ad *Unum*, scilicet ad *Ideam* extollendam esse doceret. Non autem negat Plato nos ad notitiam « Patris rerum » posse pervenire, quamvis difficile unique philosopho datum

(1) *De Conjecturis*, cap. I.
(2) *De Mente*, cap. IV.
(3) *Ibid.*
(4) *Ibid.*, cap. V.
(5) *Ibid.*, cap. V.

sit ad hunc apicem scientiæ conscendere. Nicolaus contra, Plotini potius quam Platonis discipulis annumerandus, eam esse finem *διαλεκτικῆς πορείας* constituit ut, non quidem Deum, sed umbram Dei assequamur : Deum vero hic versari quo nunquam *transcendere*, ut ait Kantius, menti humanæ liceat.

PARS ALTERA
DISPUTATIO

CAPUT I

QUIBUS EX FONTIBUS DOCTRINAM SUAM NICOLAUS CUSANUS HAUSERIT

Quanquam Nicolai Cusani opera scrutantem multa obscura fugerunt, tamen quidquid ex illius doctrina eminere atque excellere visum est, id exposuimus. Cujus quidem philosophiam cum fere omnium, qui antea fuerant aut etiam qui postea exstiterunt, philosophorum doctrina, aliqua ex parte, similem esse animadvertimus. Inquirendum superest quibus ex fontibus hauserit aut potius collegerit varias suæ doctrinæ partes, quæ quidem, mira quadam συνθέσι, non modo diversa, sed etiam opposita complectitur.

Ac primum ipse fatetur se pleraque a Dionysio accepisse ; cujus magna fuit in media ætate auctoritas, licet reipsa Alexandrinus potius quam Christianus philosophus esse videatur (1). Ab eo enim « *opposita in infinito coincidere* (2), » et Deum ita ea quæ existunt exsuperare ut nullo modo ipse

(1) *De Dionysio Pseudo-Areopagita,* vide scriptum a *Leone Montet,* opusculum. (Lutetiæ MDCCCLXVIII.)

(2) *Theol. myst.,* cap. IV, V.

existere sit dicendus, licet per eum omnia existant (1), neque posse nominari (2), neque cognosci per rationem, sed tantum per « *doctam ignorantiam* (3) » Nicolaus Cusanus edoctus est. Eodem magistro, Deum « *Unitatem* » esse, ac tamen « *Trini-* « *tatem* (4) » et omnia Deum inæquali ratione participare (5); naturam vero a *Nihilo* ad τὸ εἶναι ideo vocatam esse quod Deus *Bonus est* (6); necnon exemplaria rerum ἐν τῷ Λόγῳ contineri, non quidem ut diversa, sed quasi uno exemplari, ut Cusanus ait, « *complicata* (7), » didicit.

Horum quidem pleraque ante Areopagitam à Proclo dicta fuerant. *Oppositorum* autem *coincidentia* ex Platonis cui Parmenidis nomen inscriptum est dialogo non immerito fluxisse videatur.

Non tamen, cum Proclum ex operibus Areopagitæ novisset, ideo ipsius Procli libros omisit. Cujus quidem opiniones nonnunquam affert, nonnunquam etiam impugnat (8). Quinetiam eo Platonicæ philosophiæ interprete usus est : argumento sit quod Nicolaus Cusanus Platonem, in eo dialogo, cui nomen Parmenidis inscriptum est, pro veris Eleaticorum placita habuisse censet (9) : ea quidem erat Procli sententia ; nos autem verisimilius esse arbitramur Platonem in hoc dialogo Eleaticorum doctrinam irridere voluisse ; nam, si pro veris eorum placita retulisset, Socratem Plato contra suam ipsius sententiam loquentem induxisset : ad hoc, sic Parmenidis doctrinam refert ut legentes vix risum teneant.

(1) *De Nomin. div.*, cap. I.
(2) *Ibid.*
(3) *Epist.* I.
(4) *Theol. myst.* cap. II.
(5) *Hier. Cœl.*, cap. IV.
(6) *De Nomin. div.*, cap. IV.
(7) *Ibid.*, cap. V.
(8) *De Venatione sapientiæ*, cap. XII, et passim.
(9) *Apol. Doct. ign.*, p. 66. — *De Beryllo*, p. 269.

Præterea quædam ab Areopagita prætermissa ab ipsius Procli operibus Nicolaus mutuatus est. Tempus enim, non quidem *αἰώνιον*, scilicet Deo *coæternum* (si vocabulo detur licentia), sed tamen *ἀΐδιον* (1), id est cum cœlo et motu simul creatum in Proclo legitur. Mundum vero una eademque anima afflari, licet *individuis* rebus aut hominibus animæ propriæ sint ac peculiares (2) in eodem philosopho reperitur. Quæ a Nicolao Cusano fusius explicata esse antea videmus : cumque de his tacuerit Dionysius Areopagita, necesse est ut eum hæc a Proclo duxisse judicemus. Jam vero quæ ad *Unitatis processum* pertinent ex eodem fonte hausisse philosophus noster videtur. Conjuncto scilicet *finito* cum *Infinito* nascitur, Procli quidem sententia, *τό ὂν intelligibile*, a rebus *abstractum* et a numero alienum : quod si ab hoc *abstracto* ad vivum et *concretum intelligibile* descendimus, tum exoritur numerus : denique, cum ab *intelligibili* ad *intelligentiam processum est*, tum *idem* et *alterum* una conjunguntur (3). Non alia sententia Nicolaus Cusanus dixit *Unitatem* alienam a numero, formas autem *intelligibiles* numeros, animum denique humanum, utpote sui conscium, numerum quadratum esse (4). Non hic præmittendi sunt Pythagoræi, quibus auctoribus totam philosophiam ad numerorum rationes retulit. Pythagoræos autem ex Alexandrinorum operibus tantum noverat.

Quinetiam Aristotelem, licet sæpe in eum ejusque discipulos invehatur, nonnunquam ducem sequitur. Eo nempe auctore materiem sive *τήν ὕλην* a forma sæpe distinguit ; *τήν ὕλην* vero idem esse censet ac *τό ἐν δυνάμει*. At negat

(1) *Comment. in Timæo*, p. 73.

(2) Proclus, *Comment. in Timæo*, p. 312, 330. (Vide M. Berger, *Thèse sur Proclus.*)

(3) Proclus, *Comment. in Parmen.*, tom. V, p. 31-32. (Vide M. Berger.)

(4) Vide supra.

materiem ac τό ἐν δυνάμει ab æterno existere; sed libera voluntate Creatoris determinatum esse quidquid potuerit fieri asserit.

Denique « *hominis animum esse rerum omnium mensu-* « *ram* » Protagoras dixerat. Iisdem quidem verbis, sed longe alia sententia, Nicolaus Cusanus existimat humanam omnem scientiam ex mentis nostræ formis atque exoriri. Proagorast enim non mente, sed sensibus hominem omnia metiri significaverat. Præterea, non humanæ solum scientiæ, sed ipsius *Veri* hominem esse mensuram, aut potius nihil esse Veri judicabat. Noster contra philosophus esse aliquid Verum Immotumque docet, ignotum quidem homini, sed cujus velut imago hominis animo imprimatur. Non verius cum quibuslibet veterum scepticorum conferatur; negabant enim Pyrrhonici et Academici signa Veri ab homine posse discerni : signa autem Veri nobis innotescere Nicolaus affirmat, licet quid his signis significetur intelligere nequamus. Itaque sceptici spectando mundo nullum Dei signum se reperire arbitrantur; ille contra, natura rerum investiganda, absconditi Dei manifesta vestigia adnotat, et velut in speculo oblatam sibi Veritatis effigiem contemplatur.

Hinc liquet eum, quamvis multa a superioribus philosophis acceperit, non serviliter quæcumque ex eis hauserit expressisse, sed sæpe etiam in melius mutavisse, eaque in propriæ doctrinæ quasi formam redegisse.

Quinetiam, nullo alio philosopho duce, sed una ratione fretus, quæ de *possibilibus* docet excogitavit. Omnes enim *infinita numero possibilia* esse arbitrari sunt philosophi. Utrum recte an falso Cusanus ea *finita numero* esse asseruerit dubitari potest. Non tamen vulgaris ingenii fuit hoc in quæstionem adducere.

CAPUT II

DE NICOLAI CUSANI METHODO

Duo necessaria esse ille existimat ad Veritatem investigandam, scilicet ut rationi diffidamus et « *opposita in Infi-* « *nito coincidere* » credamus.

Rationem negat quidquam de *Infinito* novisse ; hoc enim esse rationis munus censet ut obscura cum claris comparando clariora faciamus ; Infinitum autem cum nulla re posse comparari.

Duplex quidem error. Primum quidem non est hoc munus *rationis* ut alia cum aliis comparemus. Sæpe enim hoc aut illud affirmamus, nulla adhibita comparatione : cum exempli gratia, τό ὄν existere judicamus, non τοῦ ὄντος notionem cum eorum rerum quæ existunt notione comparamus ; sed unum et simplex judicium utramque notionem ita colligat ut aliam ab alia discernere atque separare nequeamus : haud aliter, cum recte esse agendum pro certo habemus, non *rectum* cum *officio* conferendo ea inter se convenire invenimus, sed, antea quam ea inter se conferre nitamur, ea convenire inter se animo concepimus. Multa sunt hujus generis quæ *simplicia judicia* recentiores philosophi nuncupant. Tum demum comparatione mens utitur cum quid ex his simplicibus judiciis consequatur investigat. Nulla enim, exempli gratia, comparatione adhibita judico rectam quamlibet lineam fracta esse breviorem. At cum trigoni quodlibet latus cæteris

esse brevius demonstro, latus hoc cum recta, duo cætera cum fracta linea comparo.

Quæ cum ita sint, quid vetat quin *Ratio* Deum existere judicet ac probet, licet ad eum nulla *comparatione* se extollere queat? Ad hoc, quanquam Deus, si spectas ad ejus *Infinitatem* cum nulla re possit comparari, tamen, si spectaveris ad *Bonitatem* aut *Intelligentiam*, potest cum bonis et intelligentibus hominibus conferri : *Infinitate* enim, non natura differt Deus ab homine; quod si natura differret, nulla esset nobis Dei notio, nomenque Dei foret inanis et sine sensu sonus.

Rursus vero, cum Rationem nobis ad hoc datam ut finita cognosceremus censet Nicolaus, *experientiæ* munus Rationi assignat. Quid enim aliud Ratione percipimus nisi æterna, necessaria, eaque quæ in Intellectu Divino velut in suo *loco* resident? Proinde, cum ad *Infinitum* concipiendum Ratio pertineat, qui fieri possit ut, quæ Rationi repugnant, ea de Infinito atque in Infinito vera sint?

Jam vero *oppositorum coincidentiam* quibusnam confirmare nitatur argumentis perpendamus. Exempla quidem petit a geometria : at in geometria nihil est Infiniti : pertinet enim ad superficies et numeros, quibus certi quidam fines circumscripti sunt. Falso dictum est infinitum trigonum cum linea recta *coincidere*; nullus enim trigonus esse potest infinitus; quod si fieri queat, id quod lateribus finitum et circumscriptum est Infinitum sit.

Absurda quinetiam ex hac oppositorum *coincidentia* consequuntur. Nam, si Deus et simul *maximum* et *minimum*, quid vetat quin eum simul *optimum* et *pessimum* appellemus?

Contigit vero sæpe philosopho nostro ut, falsis doctrinæ suæ principiis neglectis, nolens aut volens rationem in quærendo Deo sequatur. Deus autem, cum ratione quæritur

quomodo non inveniatur? Quid est enim ratio, nisi datus homini quemdam in modum *Dei percipiendi sensus?* Itaque, rejectis erroribus, multa supersunt in Nicolao Cusano quæ et excellenti philosophi ingenio, quæ Christiano vere digna, quæque studioso Veritatis lectori non modo perutilia, sed etiam admiranda haud immerito dixerimus. Quo vero magis ea miranda sunt, eo diligentius ac severius a falsis ejusdem scriptoris opinionibus discernenda sunt.

CAPUT III

DE DEO

Si ad sententiam Nicolai Cusani attenderimus, pium profecto philosophum; si ad verba, prorsus *atheum* esse reperiemus.

Dei enim Justitiam aut Bonitatem nihil communis cum humana justitia habere qui docet, idem, si secum concordet, Justitiam Dei nihil secundum ordinem disponere fateatur: servando enim ordine et suum cuique retribuendo constat hominis justitia. *Bonitas* autem in homine tum esse dicitur cum benificia ab hoc homine alteri tribuuntur : igitur Deus, cum non eodem sensu quo homo Bonus sit dicendus, nulli beneficia tribuere potest ! Ratio denique humana ita constituta est ut Deum existere credat : ergo Dei ratio se non existere judicat; si enim se existere judicaret, communis aliquid cum humana ratione haberet.

Quinetiam, cum existat homo, sequitur Deum existere non posse. Neque hoc ex sua philosophia consequi negat Nicolaus Cusanus; Deum enim esse *insubstantialem* dixit. At, quibus nulla est *substantia* quid aliud quam, ut recentiores aiunt, *abstracta* esse videantur? Non alia est eorum, qui nostra ætate *idealistæ* dicuntur, sententia. Majorem enim Deum esse censent quam ut possit « *attributis* » circumscribi : quasi « *attributa*, » scilicet *virtutes*, minuant eum qui eis præditus est ! Sane majorem putant Eum qui nihil est

quam is qui Bonus aut Potens est! At valde timent illi (timebatque Nicolaus Cusanus), ne Deum similem homini fingant, si Bonum et Justum dicant, nosque « ἀνθρωπομορφίσματος » insimulant qui talia Deo attribuimus. Nonne vero sciunt in hoc « τό ἀνθρωπομόρφισμα » consistere ut imperfectum aliquid Deo attribuatur? Nos autem humanas quidem virtutes, sed non ut sunt in homine, verum nullis finibus circumscriptas Deo attribuendas judicamus. Quod si nihil eorum quæ in homine laudantur ullo modo pertineret ad Deum, nulla prorsus homini foret Dei notio, neque hoc homo præstaret brutis animalibus.

Ut vero, cum Alexandrinæ philosophiæ somniis decipitur, in summam impietatem, nimia pietate, inscius ac nolens decidit Nicolaus Cusanus, ita, cum rationi obsequitur, aut cum fidei Christianæ documenta interpretatur, magnifica de Deo sentit. Primum quidem, *Id quod Est per se unum esse* recte intellexit: quod enim non est simplex duntaxat et unum, id non vere esse ὄν aliquid dicatur, sed velut ὄντων quemdam « *gregem*, » ut Leibnitzius ait; neque per se, sed per sua *elementa*, aut potius per eum qui hæc elementa congregavit, existit.

Deum autem *Unum* et *Trinum* esse, non quidem theologiæ, sed unius rationis argumentis fretus, optime demonstravit. Fateor quidem obscurius eum esse locutum cum dixit Deum esse *Unitatem* et *Æqualitatem* et *Nexum*: at, illa interpretando, Unitatem esse τό ὄν, *Æqualitatem* vero *Intelligentiam sui consciam*, *Nexum* denique *Amorem quo* τό ὄν, *sui conscium, erga se accenditur*, philosophus noster explanat. Quo nihil verius, nihil rationi magis consentaneum dici potest: omnia enim quæ de Deo dicuntur, quæcumque sint, nihil aliud quam a *Potestate*, *Intelligentia* et *Amore* proficiscuntur Scilicet *Æternitas* et *Immensitas* Dei non in eo constant ut in omnibus locis temporibusque extensus sit,

utpote qui nullo modo *extensus* esse queat, sed ut in omnibus locis et temporibus potestatem suam exercere possit. Potestas autem idem est ac τό ὄν, ut recte dixit *Leibnitzius*. Providentia autem qui aliud quam Intelligentia? Bonitas et Justitia denique ad amorem veri ac τοῦ ὄντος merito referantur. Quæ quidem tria Deo ab humana ratione attributa inter se confundi nequeunt. *Posse* enim non est *Intelligere: amare* autem neutrum est. Tamen unus et idem *potest*, *amat* et *intelligit*. Quapropter Deus simul *Unus* et *Trinus* est. Idem de animo humano merito dixeris; hoc tamen inter Deum et hominem discrimen adnotandum est, quod homo aliquam tantum partem ***Potestatis, Intelligentiæ*** et ***Bonitatis*** accepit, Deus autem non hæc tria participat, sed est Ipsa καθ' αὐτήν Potestas, Ipsa Intelligentia, Ipsa Bonitas; itaque in Deo non modo tres, ut in homine, *virtutes*, sed tria καθ' αὐτά, sive tria *Prima Principia*, non quidem *abstracta*, verum *concreta* atque *in se existentia*, si animum attenderimus, inesse videantur. Quæ cum plane cum theologia concordent, nihilominus ad ipsam philosophiam pertinent, quandoquidem una ratione duce demonstrari possunt, et, ex ipsius humanæ mentis, quam ratio Dei esse imaginem confirmat, attenta consideratione, vera esse reperiuntur.

Laudanda quoque ea que de creata materia docet Nicolaus. Plerique, imo omnes veteres philosophi materiam æternam dixerant, Deum que materiam non creavisse, sed tantum ei formam imposuisse arbitrati fuerant. Fatebantur enim non nisi ab *Intelligentia* formam cuilibet rei posse dari; at materiem *informem* ab æterno credebant existere, nulla quidem præditam figura, sed ad quamlibet figuram accipiendam quasi paratam. Repugnat profecto rationi ea doctrina. Non enim ante exstitit materia quam formam quamdam acciperet; non fuisset materia, si figura caruisset. Ipsa etiam Epicureorum atomus aliqua figura prædita erat, eamque

rotundam finxerant, adeo materiam forma carentem animo concipere nequimus! Itaque, non modo natura rerum, sed confusa etiam et inordinata materies creatorem arguit.

Obscure dictum esse a Nicolao fatemur *Possibilia* numero finita esse, ac certis terminis a libera voluntate Dei circumscripta. Non tamen absurda sententia est. Nam, licet Deus omnia facere possit, num ideo omnia fieri posse voluit? Quinetiam, si omnia fieri possent, par Deo mundus fieri potuisset, quod rationi repugnat. Tutius igitur in hac re dubitabitur quam in utramvis sententiam discedetur.

Subtilius etiam dictum esse videbitur Deum ideo vocavisse ad τό ὄν ea quæ non erant quia Ipse est *absoluta similitudo*, cujus proprium et peculiare quasi munus est ut *assimilet*. Si vero non ad verba, sed ad ipsam sententiam animum adverterimus, Deum, cujus infinita potestas est, potuisse quæcumque facere intelligemus; at nihil facere poterat nisi ad similitudinem sui, utpote qui omne τό ὄν in se complectatur. Recte igitur dictum est *creare* idem esse atque *assimilare*.

Denique omnia quæ sunt nonnisi *communicato quamdam in modum Deo* existere potuisse dixit Nicolaus Cusanus. Qua in re plane cum illo consentimus. Omnia enim quæcumque exstant aut ratione, aut sensu, aut certe virtute aliqua prædita sunt; ipsi etiam materiei vis ac virtus inest; aut potius nihil aliud est materies nisi aliqua *vis*. *Vis* autem aut *virtus* idem est atque *potentia;* atqui *Potentia* Deus est. Sequitur mundum hoc tantum a Deo differre quod in Deo quidem summa Potentia, in rebus vero definita quædam atque a Deo determinata *vis* aut *Potentia* inest. Multum vero abest ut ea docendo in *Pantheistarum* errores incidat; contra enim asserit τό ὄν *absolutum* non posse cum rebus finitis, quæ quidem τό ὄν simul et τό μὴ ὄν participant. confundi. Quod si urgeant Pantheistæ et sciscitentur quomodo Deus in

hac sui communicatione non minuatur, responderi queat hoc tantum rerum in spatio extensarum proprium esse ut se communicando comminuant. Quæ autem non materia constant, ea nullo modo dividi, neque igitur minui possunt. Bonus enim aut doctus vir, cum aliis hominibus præcepta dat, quibus meliores aut doctiores fiant, non inde pejor aut minus doctus evadit : communicat igitur aliquid sui, neque tamen amittit. Simili ratione Infinita Dei Intelligentia, creandis hominum mentibus, nullo modo minuitur, neque Infinita Potestas, vim aliquam rebus ingenerando, ex sese quidquam detrahit. Ridiculum profecto videatur si quis credat architectum, structa machinatione, quidquid motus et vis machinationi indiderit, id ex sua potestate detraxisse.

Unum tamen hic desiderandum est : postquam enim recte demonstravit noster philosophus mundum a Deo κατὰ συμβεβηκός tantum differe, negat τὸ συμβεβηκός a Deo posse cognosci. Quo fit ut mundum non cognoscat, sed tantum se suasque virtutes Deus intelligat. A Proclo quidem cæterisque Alexandriæ philosophis acceperat, necnon ab ipso Aristotele, nihil diversi esse in Dei scientia. At ea Providentiam Dei prorsus tollunt. Quid si nihil diversi in παραδείγματι, ut Proclus ait, cognitum esset, bene aut male ab homine facta Deum fugerent.

CAPUT IV

DE MUNDO — DE TEMPORE ET SPATIO

Mundum esse imaginem Dei jam vidimus. Inæquali autem ratione singula Deum *participant*, quo fit ut alia alius meliora sint ; continua igitur serie res creatæ magis ac magis ad similitudinem Dei tendunt, nec vacuus locus in hac serie reperitur. Quæ quidem luculenter a Nicolao dicta Leibnitzius posthac illustravit.

Quod autem mundum una eademque anima afflari censuit, nihil est cur probabile videatur. Si enim unius animantis *sol* et *luna* membra forent, cur, pereunte parte aliqua mundi, non omnia in deterius delaberentur ? Verius profecto Leibnitzius singulis rebus singulas inesse *vires* atque, ut ait, *substantias* docuit. Intercedere vero inter Deum mundi Creatorem ac singulas creati mundi partes animam qua mundus intus alatur, id veritati prorsus absimile videtur. Spinozæ quidem ideo opus erat *natura naturante* quod Deum sustulerat a quo natura vitam acciperet. Nos autem, qui Deum vitam rebus infundere credimus, qua de causa *naturam naturantem* nobis animo effingamus ? Nusquam alias verius hoc *scholasticorum ἀξίωμα* referatur, « *non multiplicanda entia præter* « *necessitatem.* »

Age vero, num mundus optimus et maximus omnium qui fieri potuerint mundorum sit, perpendamus. Ac primum meminerimus Nicolaum *Possibilia* esse *finita numero*

duxisse ; quod neque negare neque affirmare audeamus. Attamen, si affirmaverimus, non hinc sequeretur nullum mundum perfectius eo qui existit mundo fieri potuisse. Quid enim obstat quin Deus perfectius aliquid fieri posse nec tamen facere voluerit ? Etenim, si unum hoc fieri potuisset quod factum est, nulla esset Dei libertas. Veri similius est Deum, ex his omnibus quæ mente conceperit mundis, quemcumque voluerit eligere potuisse. Certum ac manifestum est mundum esse bonum et magnum : utrum optimus et quam maximus sit pronuntiare forsitan non humanæ rationis est.

De natura *temporis* fere consentit Nicolaus cum Proclo (1), cum Augustino (2), cujus doctrinam Bossuetius (3) et Leibnitzius (4) illustraverunt. Mundum enim simul cum tempore creatum censet (5). Non absurde forsan objiciatur tempus, etiamsi mundus pereat, esse mansurum : nec ideo tamen, Clarkio magistro, tempus cum æternitate Dei confundendum est : partes enim tempus habet. Cum vero neque in rebus neque in Deo tempus ac spatium existere videantur, restat ut pro *rerum possibilium ordine ac serie* quodam modo habeantur. Quandoquidem vero *Possibilia* certo ordine a Mente divina intelliguntur, tempus et spatium, non hominis quidem, ut censet Kantius, sed Dei *notiones* probabilius dicantur. Eo igitur usque patent quatenus Deus res fieri posse voluit. Prout vero *Possibilia* esse *infinita* aut finita numero esse censeantur, spatium tempusque infinita aut finita dicenda sunt. At, etiamsi finita sint, tamen multo ultra fines mundi patere possint.

(1) Vide supra.
(2) *Confessiones*, lib. XI, cap. XIII.
(3) Bossuet, *Élévations sur les mystères*.
(4) Lettres à Clarke.
(5) Nihilominus, aliis locis, cum ipso Kantio de hac re consentire videatur, cui si credamus nihil aliud sit tempus nisi mentis humanæ mera notio. (Vide supra.)

Multa quidem illi doctrinæ objici queant : probabilior tamen visa est quam ut omnino eam prætermitteremus. Ad hoc, ex aliqua parte cum Clarkii necnon Leibnitzii et Kantii doctrina concordat. Etenim, cum Clarkio censemus tempus et spatium divini aliquid in se habere ; licet enim non sint Deus, a Deo tamen intelliguntur, nihilque veri, nisi quatenus in Mente divina resident, his *notionibus* inest. Leibnitzio autem magistro tempus et spatium *ordinem rerum* vocamus ; at, non rerum *quæ sunt*, sed earum *quæ esse possunt* ordinem ac seriem esse, ducimus. Kantio demum recte concedatur non ea esse ὄντα, sed meras *notiones;* verum Dei, non hominis *notiones* esse profitemur.

CAPUT V

DE ANIMO HUMANO

De mente humana argumentando, non observando, disseruisse Nicolaum Cusanum jam antea vidimus; ita ut minus psychologiam quam de mente humana metaphysicam aut geometriam in ejus libris reperiamus. Non minori vitio ei vertendum est quod in animo humano nihil aliud quam mentem rationemque considerare solet; etenim, non modo cogitamus, sed etiam sentimus et agimus. Dixit quidem mentem esse *formam corporis* et ab ea vitam nobis infundi; sed velut in transcursu nos illud monuit, Peripateticorum philosophiæ memor; plerumque autem de animo sic argumentatur ut intelligentia tantum eum esse præditum credidisse videatur. Haud aliter a Cartesio definitus est animus *res cogitans*. De sensu autem ac de libertate hominis fere nihil docuit.

Quinetiam ipsius intellectus cognitionem ad numeros et geometriam retulit; qua quidem via fere nihil veri de animo inveniri potest; nam superficies aut numeros nihil aliud esse nisi *abstracta*, ut aiunt philosophi, nemo non fateatur : animus autem vivit vigetque; præterea geometrarum rationes ad ea quæ in spatio extensa sunt pertinent; animus autem, cum nullum locum obtineat, quomodo cum *quadrata superficie* conferatur ?

Attamen, si, verbis omissis, sententiam philosophi perpendemus, ea laudabimus quæ de *conscientia* dixit. Eo enim præstat humana mens cæteris rebus quod, non modo *intel-*

ligibilis, sed etiam *intelligens* et sui conscia est : qua quidem conscientia quasi ad *Unitatem* ex diversitate rerum, mens revertitur, ac, velut *Idea sui compos*, ut ait Hegelius, ad *finem sui processus* pervenit. Quemadmodum autem ea laudamus ut vera, sic eadem, ut obscure dicta, cum in Nicolao Cusano, tum in Germano philosopho, reprehendi posse opinamur.

Mentem vero a *mensura* dictam esse (1) et omnium rerum eam esse *mensuram*, non eodem sensu a Nicolao quo a Protagora dictum fuisse jam antea probatum est. Non tamen ideo ab omni errore absolvenda sententia. Sunt enim quæ vere esse ratio credit, neque tamen ullo modo metiri mente possumus, Deum scilicet et quæcumque ad Infinitum pertinent. Præterea neminem fallit non ideo res esse veras quod eas percipimus, sed ideo percipi quod vere sunt : itaque non verius animus *rerum mensura* quam *res* animi *mensuræ* esse videantur. Urget tamen Nicolaus et contendit non res ipsas, sed formas rerum a nobis percipi, easdemque menti nostræ impressas atque innatas inhærere. Ex hac, quæ cum doctrina Kantii aut Fichtii conferri queat, opinione necessario sequitur negandam esse rerum naturam. Etenim, si eadem forma rebus et menti nostræ inesset, qua ratione res a me differant nemo possit intelligere : materia forsitan differant ; at, cum neget Nicolaus quidquam percipi sensibus, quis sciat an materia existat? Hinc fit ut in *Idealismum* hæc philosophia desinat.

At certe signa rerum percipi concedit, quæ quidem cum ipsis rebus, non forte quadam, sed certa ratione conveniunt.

(1) Quod si ad etymologiam referatur, non falso dictum videatur. In Græco enim sermone *μήν* et *μήνη*, quibus tempus Græci metiebantur cum *mente* et *mensura* conferri queant. In antiqua autem Indorum lingua, simili voce mensura significabatur. (Vide Max Muller, *Science du langage*, traduct. de M. Harris.)

Rogari possit unde sciamus utrum signa cum rebus conveniant annon? De rebus enim qui nihil sciamus, ne an cum signis quidem commune quid habeant affirmare queamus. Denique, quid aliud hæc *signa rerum* quam eas a Scotis merito risui habitas *notiones repræsentativas* esse dixerimus? Quæ quidem si res inter et animum nostrum intercedant, nihil veri unquam a nobis percipiatur. His necessario laqueis intricabimur, nisi ad communem sensum confugerimus, eoque magistro persuasum habuerimus res ipsas a nobis percipi, non autem ad similitudinem nostræ mentis effingi.

CONCLUSIO OPERIS

Quamvis multa in Nicolai Cusani philosophia nobis reprehendenda visa sint, altitudinem doctrinæ tamen et vim ingenii non admirari non possumus. Multæ quidem ac reconditæ in eo litteræ, presertim ut in mediæ ætatis philosopho, ita ut renascentis Platonicæ philosophiæ princeps auctorque merito nuncupetur. Primis enim quinti decimi sæculi annis, scilicet quinquaginta fere ante Angelum Politianum, sexaginta ante Picum natus, prope ignotam et Aristotelis philosophia obscuratam Platonis imprimisque Alexandrinorum doctrinam ex oblivione tenebrisque ad lucem protulit. Paulo major etiam natu Laurente Valla, cujus non minor fuit erga Peripateticos insectatio. Nondum ex Byzantia a Mahumeto altero pulsi in Europam confugerant docti viri, Græcam philosophiam veterumque libros secum in Occidentem ferentes ; jamque Græca philosophia, in Cusani libris illustrata, ac velut in futura tempora prælucens, ad immensam laudem qua postea inclaruit, ut ita dicam, proludebat.

Fatendum est eum scholasticorum sermone ac subtilitate sæpius usum fuisse, ac barbare magis quam latine locutum. Excusationi tamen sit rerum novitas ac sententiarum audacia, quas Ciceronis sermone exprimere perdifficile fuisset. Novis autem et inusitatis fingendis vocibus magis quam spreta grammatica in barbariem sermonis incurrit ; imo grammaticæ legun observantissimus aut saltem scholasticis multo observantior, ita ut antiquitatis admodum studiosus, non modo in

doctrina, sed, quantum poterat, in sermone suo fuisse videatur.

Quemadmodum vero instaurandæ antiquitatis auctorem, ita recentioris Germanorum philosophiæ antecessorem non admirari non possumus. Licet enim pleraque eorum, quæ cum Kantii aut Hegelii doctrina concordare videntur, ex Alexandrinorum aut veterum scepticorum libris ea duxerit, nihilominus mirum videtur audacissimas, quibus profitendis Germani philosophi inclaruerunt, disciplinas ab episcopo, ante renascentium litterarum ætatem, in lucem esse editas atque prolatas. Etiamsi nulla alia laude vir præstantissimus enituisset, dignus tamen foret cui a philosophiæ historicis nobilis inter præclara ingenia locus assignaretur.

VIDI AC PERLEGI,

Lutetia Parisiorum in Sorbona, a. d. VI. Kal. febr. ann. MDCCCLXVIII,
Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus.

PATIN.

Typis mandetur
Academiæ Parisiensis Rector.

A. MOURIER.

INDEX RERUM

Biturigibus, ex typis E. Pigelet.